RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

SACRA NATALITIA

SERVATORIS AC DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI

DIE XXV. MENSIS DECEMBRIS A. R. S. MDCCCI

IN

AEDE PAVLINA

PIE CELEBRANDA

INDICIT.

SPICILEGIVM XXXI.

Autographorum, illustrantium rationem, quae intercessit Erasmo Roterodamo cum aulis et hominibus aeui sui praecipuis omnique republica.

IOANNIS DE HONDT,

Canonici Curtracensis, et Decani Capituli eiusdem loci *),
Epistola A. 1520. ad Erasmum data, ex Autogr.

Ex omnibus huius viri epistolis ad ERASMVM datis haec *vnica* superest, quae nunc tandem ex Autographo pessime scripto in lucem prodit; memorabilis, non propter latinitatem, sane non bonam, sed propter argumentum. Agit enim de *rebus Erasmi priuatis*, docetque eius illo tempore rei familiaris angustiam. (Vid. Index A. 1520. n. 2.)

In ERASMI Operibus, Tomo III. Lugd. Bat. 1703. fol. editae sunt quinque ad *Ioannem de Hondt* ERASMI epistolae, datae *Louan.* 5. Ianuarii, Anno a Natali 1518. (vid. T. III. Append. p. 1667. sequ. ep. 255.) *Basil.* post Pascha, Anno 1524. (p. 795. ep. 676.) *Basil.* 26. Iulii A. 1524. (p. 804. ep. 685.) *Basil.* 11. Februar. A. 1525. (p. 851. sq. ep. 731.) et *Basil.* 25. Augusti A. 1527. (p. 1008. sequ. ep. 887.) In prima ERASMVS eum vocat *Eximium Virum*, *Dominum Ioannem*, *cognomento de* HONDT, *Canonicum Curtracensem*, *amicum singularem*. In secunda: *Honorabilem Dominum Ioannem* CANIVM,

 siue

*) Teste *Hondtio* ipso.

ſiue de HONDT, *Canonicum Curtracenſem.* In tertia et quarta: *D. Ioannem de* HONDT, *Canonicum Curtracenſem.* In quinta: *Ioannem* CANIVM, *Canonicum Curtracenſem.*

Dicit ERASMVS, in prima illa epiſtola, A. 1518. *Louanii* ſcripta: *Liuini Potelbergii*, quondam Flandriae Quaeſtoris aerarii, commendatione, *Praebendam Curtracenſem* in *Ioannem de Hondt* deriuatam fuiſſe. *Petrum Barbirium* (Canonicum Tornacenſem) rerum ſuarum procurationem non temere *Hondtio* mandaſſe, hominem nec ſtultum, nec indiligentem. Non opus autem eſſe multis *cautionibus* inter eos, apud quos valeat vetus illa formula: *Inter bonos bene agier oportet.* „Caeterum (addit) quod attinet ad *Sacerdotium* ſitum in Dioeceſi „*Traiectenſi*, me nulla in re difficilem ſenties. Sed quid ipſe „cum *Barbirio* egerim, ſcio, quid tu cum illo transegeris, neſcio, quo minus habeo, quod ſuper hac re certum reſpondeam; niſi quod, cum ſumma *penſionis* ſit aeſtimata, et huius „portio quaedam duntaxat ſint ſacerdotia, non videtur aequum, ſi quid alicunde arroſum fuerit ex illis, id de *penſionis* „ſemel aeſtimatae ſumma detrahere. — Tu proinde bona „agito fide, quicquid approbârit *Barbirius*, mihi comprobabitur, cuius litteras ſuper hoc quoque negotio exſpecto. „Is ex itinere miſit ad me *pecuniam* ex *penſione* receptam; qua „in re et illius diligentiam, et tuam fidem, amo."

In epiſtola ſecunda, Baſil. poſt Paſcha A. 1524. ſcribit ERASMVS: „veniſſe litteras è *Flandria*, ſcriptas a *Michaele* „quodam *Bentino*, quae nunciarent, *Ioannem Canium*, ſiue *de* „*Hondt*, inimiciſſimo eſſe in *Eraſmum* animo, tanquam *hae*„*reticum*, cuius libri ſint *peſtilentiores*, *Lutheranis*, etc." Quare ſe defendere ſtudet ERASMVS. In tertia vero, Baſil. 26. Iulii A. 1524. *Virum optimum Hondtium* vocat ERASMVS, doletque, eum

eum litteris ſuis commotum fuiſſe, addens: nec *Bentino* fuiſſe vnquam apud ſe multum fidei. Loquitur de *Suffraganeo*, qui *Brugis* bis in publica concione debacchatus ſit in nomen *Eraſmi*. Item de *Barbirio*, litteris teſtante, ſe inſcio factum, quod alii (nimirum *Molendino*) numerata ſit pecunia.

In quarta, Baſil. 11. Febr. A. 1525. ERASMVS: „Mini-„mum aberat," inquit, „quin te liberarem onere *penſionario*. „(nim. morte.) — *Barbirius* petiit Galliam, in comitatu *Alean-„dri*, nunc Archiepiſcopi Brunduſini, paupertate, vt autumo, „coactus. Itaque decreuit nunc rapto viuere. — Olim de-„traxit è *penſione* Caeſaris XL, ni fallor, florenos: — nunc „inuadit hanc quoque *penſionem*. — Mitto *ſyngrapham* hanc, „more ſolito vacuam. Non grauaberis numerare *pecuniam* „vel Petro *Aegidio*, vel Marco *Laurino* Decano, aut huic *Fran-„ciſco* Canonico Antuerpienſi, ſi forte tibi ipſe litteras reddi-„derit." In quinta denique, Baſil. 25. Aug. A. 1527. ERAS-MVS ſcribit: „Pro tuo ſolito in me ſtudio gratiam habeo ma-„ximam. Quod *pecunia* tam diu manſit apud *M. Laurinum*, „mihi luculento damno fuit, quod tamen nulli poſſum im-„putare, niſi moribus aulae. Si fuiſſet apud *Schetum*, ille „curaſſet, ne quid detrimenti caperem. *Petrum Barbirium* „arbitror irato Mercurio natum, qui tot annos verſatus in „aulis Monarcharum, Caeſaris, Romani Pontificis, idque „apud Hiſpanos, vbi glebae fluuiique ferunt aurum, tamen „nudus ad nos redierit. — Tibi precor omnia tuis digna „virtutibus. *Barbirius* mihi debet bonam *pecuniam*; optarim, „vt mature diteſcat, quo poſſet ſoluere. — Poſthac, ſi com-„mode potes, ne cui des *pecuniam*, niſi cui iuſſit *Eraſmus Sche-„tus*. Is rectius curabit, vt quam minimo diſpendio ad me „perueniat, homo non optime Latinus, ſed tamen optimae „fidei."

Etiam in nonnullis ad alios epiſtolis ERASMVS *Hondtii* noſtri, ſiue *Canii*, mentionem fecit. In epiſtola ad Petrum *Barbirium*, Louan. 6. Martii Ann. 1518. T. III. Opp. p. 306. ep. 307. haec leguntur: „*Canonicus* ille *Canius* ſuapte ſponte „detulit ac miſit *pecuniam penſionariam*, homo melioris fidei, „quam nunc vulgus eſt mortalium.“ In epiſtola ad eumdem data ex Anderlaco 23. Sept. A. 1521. (p. 662. ep. 593.) dicit ERASMVS: „De *penſione* vtinam tam feliciter peragas nego„tium, quam agis lente! *Ioannes Canius* ſui ſimilis eſſe per„ſeuerat.“ Verba ſequentia, vbi ſermo eſt de quodam in *Eraſmum* debacchante, ego non de *Canio* intelligo, vti fecit auctor Indicis, Tomo III. Operum Eraſmi (Lugduni Bat. 1703. fol.) ſubiuncti. Patet enim è contextu verborum, loqui ERASMVM de *ſene* quodam *Theologo* et *Carmelita*. In alia ad Petrum *Barbirium* Baſil. 3. Octobr. A. 1525. (p. 893. ep. 768.) ERASMVS: „Etiam atque etiam, inquit, te rogo, mitte quam „primum litteras teſtimoniales de non reſidendo; alioqui, „ſcribit *Ioannes Canius*, vtroſque nos futuros in periculo. „Miror te in hac re ſic ceſſare, neque id nunc primum „tantum.“

Ad eumdem *Barbirium*, Baſil. A. 1525. (p. 901. ep. 783.) ſcribit ERASMVS: „Per *Liuinum* famulum meum intelligo, „*Ioannem Molendinum* recepiſſe dimidium *penſionis* huius anni „à *Ioanne de Hondt*, idque auctoritate tuarum litterarum, qui„bus ſignificâras, te hac in re placaſſe animum meum. Et ni „in tempore meas litteras attuliſſet *Marcus Laurinus*, Decanus „Brugenſis, deuoraſſet totam. Et poſtea ſcribis, inter nos „amicitiam fore perpetuam. Vetus prouerbium eſt, *vſque ad* „*aras*, ſed vetuſtius exemplum, *vſque ad pecunias*. Quid te „crudelius, ſi nudo veſtimenta detrahis, et ſpoliatum ſpolias? „Tu ſcis, quam ſimplici fiducia, quam ſincero pectore, totum „hoc

„hoc negotium tuae crediderim fidei, —. Quod ſi me fallit „*Barbirius*, nulli poſthac mortalium crediturus ſum.“

Ex epiſtolis ERASMI citatis patet ſimul, negotium ei fuiſſe, alicuius *Penſionis pecuniariae* cauſſa, (quae *Curtracenſis* vocatur in epiſtolis variis, inde ab anno 1517. ſcriptis, T. III. Opp.) cum *Petro* BARBIRIO, Canonico *Tornacenſi*, et cum *Ioanne de* HONDT, ſiue CANIO, *Curtracenſi*. Eadem de re, non ſatis perſpicua, ſermo eſt etiam in noſtra, quae nunc in lucem prodit, epiſtola. Sed *Penſione* illa ERASMVS tandem ſpoliatum ſe conqueſtus eſt, a *Petro* BARBIRIO, neſcio qua ratione; at non ſine omni culpa (vt videtur putaſſe Eraſmus) *Ioannis de* HONDT, ſiue CANII. Scripſit enim ERASMVS, Frib. Anno 1529. d. 28. Martii, (T. III. ep. 1034. p. 1176.) Angliae Baroni, Guil. *Montjoio*, in regia Angliae: „Neſcio, „quem mihi fortuna cibum offerat edentulo. Certe *Petrus* „*Barbirius*, ſic mihi adamatus, ſic a me litteris celebratus, „*me Penſione Curtracenſi ſpoliauit inaudita perfidia.*“ Et in epiſtola, Frib. d. 31. Iulii anno 1530. duobus Adoleſcentibus (ignotis) ſcripta, (Append. T. III. p. 1747. ep. 359.) non ſine bile ERASMVS: „Fruſtra, inquit, laceſſitis *Canium* litteris veſtris, qui menſe Ianuario, ni fallor, nos reliquit, nec adhuc „reſcire potuimus, vbi locorum agat. — *Petrus Barbirius*, „*qui iam dudum decoxit, pluſquam Punica perfidia intercepit mihi* „*Penſionem Curtracenſem* *). Ea de re quum ſcripſiſſem aliquot prolixas epiſtolas, non ante commiſi *Canio*, quam ſti-

„pulatus,

*) At latent adhuc apud nos, Lipſiae, duae PETRI BARBIRII epiſtolae, a. 1529 et a. 1533. ad *Eraſmum* miſſae, et ex Autogr. nondum editae, quae ſpectant ad hanc rem. Vid. Index noſter Epiſtolarum ad Eraſmum autographarum, (Lipſiae, 1784. 8.) A. 1529. n. 24. et A. 1533. n. 6.

„pulatus, an eſſet petiturus *Flandriam*? Annuit. Rogaui, „num haberet ſatis viatici? Satis, inquit, vſque ad *Antuer-* „*piam*, illic inueniam ſatis. Vis, inquam, tuo ſumtu nego- „tium hoc ſuſcipere? Ille alacri vultu, Quid ni? inquit, plura „tibi debeo. Ego credens, illum ex animo loqui, dedi illi „ſeptem Coronatos aureos. Iam ſex menſes abeſt, nec quiſ- „quam ſcit, quo ſe bonus ille vir recepit. Miror, quibus „artibus vos incantauerit, vt hominem tanti faciatis. Per „illum vultis apud me commendari? et ipſe ſemper eguit apud „me commendatore. *Bebelius* edidit Epigrammata Graeca, „à ducentis verſa, inter quae ſunt aliquot *Canii*, ſed aliquot „puerilibus vitiis reſperſa. Adeo vero ſibi placebat, vt mihi „non dignaretur oſtendere." Qui hanc epiſtolam, anno 1530. ſcriptam, confert cum reliquis, inde ab anno 1518. exaratis, vix credat, loqui ERASMVM de illo *Canio*, ſiue *Io. de Hondt*, ad quem quinque eius epiſtolae exſtant editae in Operibus; nec tamen in his Operibus alium inuenio, de quo ſermo eſſe poſſet.

Epiſtolam, nunc ex Autographo peſſime ſcripto prodeuntem, dedit auctor *ex Curtraco*, *d. 28. menſis Aprilis*, *Anno 1520.* (v. Index h. a. n. 2.) ad *Eraſmum*, *Louanii in Paedagogio Lilii reſidentem*, vt inſcriptio docet.

Venerande et humaniſſime Domine, humili recommendatione praemiſſa. Recepi, effluxis nunc aliquot diebus, et poſteaquam Tornaco [1]) reuerſus eſſem, ex Synodi celebratione, litteras Veſtrae humanitatis, beneuole ad me datas, de dato diei Mercurii [2]) in Paſchalibus [3]) nouiſſime transactis, eisque inclusam

1) *Tornacum*, eſt Belgii vrbs, quam *Dornick*, Galli *Tournay*, vocant, in Flandria Auſtriaca, olim Hiſpanica.

2) Die vndecimo menſis Aprilis A. 1520. Litterae iſtae non exſtant in Operibus Eraſmi.

clusam syngrapham vacuam, inscribendi gratia acquittam Termini Natiuitatis beati Iohannis Baptistae proxime adfuturi [4]); me inter caetera requirendo, quatenus (modo facultas suppeteret, modoque mihi non esset incommodum,) pecuniam Termini eiusdem instantis Vestrae Reuerentiae per Michaelem nuncium transmitterem: qua in re eidem Vestrae Reuerentiae, quam proximis diebus absuturam intelligo [5]), et forte in remotis agituram [6]), complacuisse nouerim. Vt itaque petitioni honestae satisfecisse videar, Vestraeque Reuerentiae eo melius sim commendatus; mitto Eidem, iuxta petita, summam integram eiusdem termini adfuturi [7]), videlicet sexaginta quinque Florenorum Rhenensium communium: maiorem summae eiusdem partem in bona vsuali moneta, Stuferis videlicet, et residuum illius in auro boni et iusti ponderis. Syngrapham ipsam vacuam iam conscripsi, nihil in eadem inserendo, quod Vestrae Reuerentiae praeiudicium aut grauamen generare possit in posterum, sed fidei commissae fidelitatem seruando. Verumtamen, Venerande mi Domine, non est subticendum, quantum periculi latuerit, cum Tornacum [8]) adhuc agerem, Decanis Capituli ibidem

3) *Pascha* A. 1520. celebratum fuit d. 8. Aprilis.

4) D. 24. Iunii A. 1520.

5) Commoratus est ERASMVS, vt epistolae in Operibus eius editae docent, post quam Hondtius hanc nostram ex Autogr. prodeuntem scripserat, A. 1520. variis locis, nimirum: *Antuerpiae* d. 13. 26. Aprilis, et d. 2. Maii; *Louanii* d. 5. et 27. Maii, d. 14. 21. Iunii; *Antuerpiae* d. 25. Iunii; *Louanii* d. 6. 30. 31. Iulii; *Antuerpiae* d. 7. et 9. Augusti; *Brugis* d. 12. Augusti; *Louanii* d. 13. *Brugis* d. 23. *Louanii* d. 31. *Anderlaci* d. 31. Augusti; *Louanii* d. 1. 5. 9. 13. *Antverpiae* d. 14. Septembris; *Louanii* d. 1. 3. 4. 8. *Anderlaci* d. 12. *Louanii* d. 18. Octobris; *Coloniae* Agrippinae d. 8. 9. 11. 13. Nouembris; *Louanii* d. 6. 13. 18. 31. Decembris.

6) Sic est in Autogr.

7) Termini Natiuitatis Iohannis Baptistae, d. 24. Iunii a. 1520.

8) Ita Autographum ipsum habet.

dem pro tunc reddentibus eorum compota [9]), more vſitato; eo videlicet, quia noſter Barbirius [10]) non transmiſerit litteras, *Significamus* nuncupatas, quae aliàs dicuntur litterae atteſtationis reſidentiae et familiaritatis ſuae in Curia Regis Catholici [11]); cuius obliuio (niſi iteratis vicibus et inſtantiſſime, apud Dominos Officiarios [12]), Reuerendi Domini Tornacenſes interceſſiſſent,) quaſi effecit, quod fructus Eccleſiae parochialis Sancti Egidii Waſiae [13]), et duarum Capellaniarum, Sancti Nicolai Waſiae [14]), et Xandenſis [15]), iam erant confiſcati, et memorato Domino Tornacenſi [16]) affecti. Obtinui tamen precibus, vt dixi, quod nihil ex his deperditum eſt, modo intra hinc, et Feſti Natiuitatis beati Iohannis proximum, epiſtolam oſtendero, et fidem fecero eisdem Dominis, de litteris huiusmodi, *Significamus*. Scripſi ſatis antehac, quod, Dominis ſtipulantibus, adueniente Feſto Paſchae expediret illas transmittere. Quid cauſae adfuit, cur litterae eaedem hucuſque non applicuerint, neſcio. Caeterum, Domine Venerande, quia de beneficiis, quae Barbirius ipſe a me obtinet, dimittendis, et penſione, per Capellanum alterum, Dominum de Thurma, aſſignanda, ſcribitis, rem totam arbitrio ipſius

9) Conf. adnot. 8.

10) *Petrus Barbirius*, Canonicus *Tornacenſis*, poſthac Decanus, de quo vid. Eraſmi Opera edita, et Index noſter Epiſtolarum ad Eraſmum autogr. A. 1521. n. 3. A. 1529. n. 24. An. 1533. n. 6.

11) *Caroli V.* Rom. et Hiſpan. Regis.

12) Aulae Caroli V. Belgicae, cui praeerat Margareta Auſtriaca.

13) *Waſia*, ſeu *Vaſia*, eſt Belgii regio, *T'Land van Waes* dicta, cuius pars altera nuper fuit Flandriae Hiſpanicae ſiue Auſtriacae ditionis, altera Flandriae Batauae.

14) *S. Nicolaus* vocabatur vicus quidam *Waſiae*. Conf. adnot. 13. et vid. mappae geograph.

15) Haud dubie Hondtius *Xandenſis* ſcripſit pro *Sandenſis*. Vicum *Sande* habent mappae geographicae Flandriae Auſtriacae.

16) Petro *Barbirio*.

ipſius Barbirii commiſiſſe, modo eam comprobem: ſi Barbirius praedictus, cum Rege [17]), iam diu deſiderato, venerit, ſecum quod honeſtum erit contractabo [18]); nec interero negotio, vbi Veſtrae Reuerentiae offenſum aliquid, aut praeiudicium afferens, practicabitur; quin immo cauſam Illius haud aliter, ac ſi propriam, tuebor. Abſit enim, vt alius inueniar apud Veſtram Reuerentiam, quam alii Eidem de me praedicarunt.

Dominus meus honorandus, Magiſter Iacobus de Tielt [19]), Cantor et Canonicus Curtracenſis, et Secretarius Reuerendorum Dominorum Tornacenſium, mittit quemdam honeſtum Iuuenem, cui nomen Iohannis Soti, de Ardemburgo [20]) oriundum, pauperem, excellentis ingenii, quem pluribus annis, ob ingenii excellentiam, litteris grammaticae et arte muſicali iam ſatis edoctum, enutriuit, Louanium, in Collegio Lilii [21]) artibus liberalibus inſtruendum, ad maiora tandem ipſum promoturus,

B 2 ſi, prout

17) *Carolo V.* Conf. adnot. II.

18) Id tandem fraudi fuit *Eraſmo.*

19) *Tielt*, ſeu *Thielt*, eſt vicus Flandriae Auſtr.

20) *Ardemburg*, ſiue *Ardenburg*, in Flandria Bataua.

21) *Lilium* Louanii erat nomen Collegii, in quo tum temporis verſabatur ERASMVS. Vid. T. III. Opp. Eraſmi Epiſt. 299. data ad Guil. Neſenum, *Louanio ex Lilio* 18. Ianuarii Anno 1518. pag. 292. Conf. Epiſt. 284. ad Antonium à Bergis, Abbatem Bertinicum, Louan. 13. Dec. A. 1517. p. 275. vbi Eraſmus: „*Verſor*, inquit, *in Collegio Liliano, vnde* „*eſt hic, qui has reddit*, *Theodoricus,* „*iuuenis feſtiuo felicique ingenio,* etc." In *Cornelii van Geſtel* Hiſtoria ſacra et profana Archiepiſcopatus Mechlinienſis, Hagae Comitum 1725. fol. edita, Tomo I. p. 182. in Catalogo Collegiorum Vniuerſitatis Louanienſis num. III. vocatur *Paedagogium Lilii*, additurque: „Primus fundator „fuit *Carolus Viruli,* vulgo *Manneken,* „qui et Regens per annos LVI. eiusdem Paedagogii fuit, ita dicti ab „inſigni domus, quam eidem Paedagogio legauit teſtamenti tabulis anno 1493., partim ad vſum pauperum pro fundatione Burſarum, partim ad vſum Magiſtrorum in Artibus, in *Paedagogio Lilii* ſe exercitantium et actualiter legentium."

ſi, prout coepit, ſtudium ſuum continuauerit. Is idem Dominus, Veſtrae Reuerentiae ſalutem plurimam dicens, Eamdem exorat, dignetur Iuuenem ipſum apud Regentem Collegii iam dicti habere commendatum. Bene valeat interim Veſtra Ven. D., cui totis viribus dies et noctes morem gerere cupio. Ex Curtraco [22]), die viceſima octaua menſis Aprilis, Anno 1520.

Eiusdem Veſtrae Reuerentiae ſeruitor,

Iohannes de Hondt,
Canonicus Curtracenſis,
et eiusdem loci Capituli Decanus.

Venerando et Humaniſſimo Domino Eraſmo Roterdamo, Sacrae paginae Profeſſori excellentiſſimo, Louanii in Paedagogio Lilii [23]) reſidenti,

(*Sigillum integrum.*)

Louanii.

22) *Curtracum*, ſeu *Cortracum*, Gallis *Courtray*, Belgis et Germanis *Cortryck*, eſt Belgii vrbs, in Flandria Auſtriaca, olim Hiſpanica.

23) Vid. adnot. 21.

MAT-

MATTHIAE HIRSGARTTERI,

Ecclesiastae Vitodurensis [1]), Epistola A. 1535. ad Erasmum data, ex Autogr.

Auctor nobis ignotus, sed cuius nomen et munus ecclesiasticum apud Heluetios ex hac ipsa epistola patet, scripsit eam die 27. mensis *Augusti*, anno 1535. (v. Index h. a. n. 12.) *respondens* ad *quaestionem* sibi propositam: *quomodo offendicula sint tollenda de Ecclesia.*

Gratiam et pacem, rel. Frater in Christo charissime! Vt votis tuis satisfaciam, breuiter sic dico: in omnibus, quae omnium laude dignus Doctor Zuickius [2]) scripsit, consentio. Cum autem a me petis, quomodo offendicula sint tollenda de ecclesia, non breuiore via respondere possum, quam ex verbis Domini. Et primo ex verbis Diui Pauli Rom. 14. Cum quis infirmatur in fide, assumite, rel. Infirmus igitur est, qui ob

fidei

1) Heluetiae vrbis, quam *Winterthur*, lat. *Vitodurum*, vocant.

2) Ioannes *Zuiccius*, seu *Zwickius*, Constantiae natus, *Iurisprudentiae*, cui operam *Basileae* et *Friburgi* dederat, Doctor in *Italia* creatus, postea litteras theologicas tractauit, ita vt *Ruedlingae Pastoris* munere fungi posset. Inde *Constantiam* iuit anno 1525. ibique *Ecclesiastes* fuit vsque ad obitum a. 1542. Perperam referunt eum inter Theologos, in Conuentu Vitembergensi anno 1536. apud Lutherum praesentes. Legitur autem nomen eius in catalogo Theologorum, anno 1539. ad Colloquium Norimbergae habendum qui mittendi erant, ex decreto Euangelicorum, in Conuentu h. a. Francofurti habito. Vid. Seckendorfii Histor. Lutheran. Lib. III. Sect. 18. §. 69. A. 1539. p. 205. a. (Francof. et Lipf. 1692. fol.)

fidei imbecillitatem facile offenditur, dum quis firmus in fide libertate ſua vtatur. Talis ſuſcipiendus eſt. Imo ait: aſſumite vel inſtituite, hoc eſt, nemmend in hüpſchlich an und berichtend in. Hoc modo Deut. 4. et 12. ſcriptum eſt: Quod tibi praecipio, hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas. Ecce frater, dicas ad tuum fratrem, ea tantum diſplicent Domino, quae in verbo ſuo prohibita ſunt, et ea ſolum placent, quae praecepta, rel. Nunc igitur cum plura offenſioni obnoxia facta ſunt Romani Antiſtitis cauponatione, qua a quibusdam interdixit, hac tantummodo fine, vt magno redimere cogeremur, quibus carere non potuimus, rel. Ex hoc manifeſtum fit, quod, dum Pontifex legem facit, de ſuo faciat. Quum autem accepta pecunia abrogat, probat, diuinum non fuiſſe, quod abrogat. Legem enim diuinam quis abrogare poterit? De hoc praedicit Paulus 1. Tim. 4. Haec proponas fratri tuo infirmo. Si igitur ex infirmitate frater errat, ex verbo Domini firmus efficietur. Si autem contumax, nec verbo Dei, nec quocunque modo, a ſua contumacia abduci poteſt. Si propter contumaces iſtos perpetuo cogamur abſtinere a libertate euangelica, nunquam erit liberum, vti illa libertate, quod ſemper contumaces erunt. Nunc alia via adeundum eſt ad illam libertatem. Videndum igitur nunc eſt, quisnam ſit nunc numerus maior, an credentium, an contumacium et incredulorum. Si credentium nunc maior eſt numerus, vtere libertate tua. Et hoc eſt verum, ſi praeter turbas fieri poteſt et offenſionem Euangelii. Nunc igitur ex praecedentibus inferas: Si ea tantummodo ſeruanda ſunt, quae praecepit Deus, non praecepit, vt non ducas in vxorem conſobrinam meam, vt clare patet Leuit. 18. Ergo iure diuino poſſum ducere. Quod autem Romanus Pontifex prohibuit aliquos gradus, qui in hoc capite non numerantur, ex ſe ipſo, imo ex doctrina

Daemo-

Daemoniorum, fecit. Imo non poteſt illos ſeparare, quos Deus coniunxit, rel. Sic fecit Paulus, dum Titum nolebat circumcidere, cum prius, ob paucitatem credentium, et quod citra magnam turbam non poſſet reſiſtere, Timotheum circumciderat. Sic maior ſemper eſt inſpiciendus numerus, et quomodo citra tumultum fieri poſſit, et ne cum detrimento Euangelii fiat. Haec ſunt, quae ad vota tua breuiſſime ac ſimpliciſſime ſcripſi. Doctiores Tiguri habes. Vale. Datum [3]) 27. die Auguſti [4]), anno 1535.

Mathias Hirſgartter,
Eccleſiaſtes in Winterthur,
tuus ex animo frater.

(*Sigillum integrum.*)

Sed nunc indicendus eſt Vobis, Ciues Cariſſimi atque Optimi, Dies Natalis Seruatoris ac Domini noſtri IESV CHRISTI pie ſancteque celebrandus. Cuius rei cauſſa proximo die XXV. Menſis Decembris Hora XII. in Aede Paulina, inter Sacra Euchariſtica, Orationem anniuerſariam habebit Iuuenis Ornatiſſimus, IOANNES CHRISTOPHORVS SCHREITER, Mauersberga-Miſnicus, Sacri Miniſterii Candidatus, dicturus de recolenda natalium Ieſu memoria, certiſſima ſanctioris vitae magiſtra. Ad quam Orationem audiendam vt frequentes confluatis, ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE

BLICAE

3) *Vitoduri*, (*Wintertbur* vocant,) in *Heluetia*, vt auctoris ſubſcriptio docet.

4) Dies 27. Auguſti anno 1535. fuit feria 6. ſeu dies Veneris poſt Domin. 13. poſt F. Trinitatis.

BLICAE PATRES ac PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI atque CARISSIMI, omni, qua par eſt, obſeruantia et humanitate rogamus.

P. P. Domin. IV. Aduent. A. R. S. cIↄIↄcccI.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.